

AK 328, 19



99.

CVM FVNVS DV CERET VR
AL V MN I OPTIME MERENTIS
IVVENIS ILLVSTR. ET GENEROSISSIMI
DN.
LVDOVICI THEODORI
S. R. I. LIB. BARONIS
A WOLZOGEN ET NEVHAVSS
D. XXII. FEBR. SVBITO MORBO EXTINCTI
V. A. XX. M. X. D. XIII.
NENIAM ADFLICTVS CECINIT
IOH. FRID. CHRISTIVS
HALAE MAGDEB. D. XXVIII. FEBR.
A NATO CHRISTO CI CC XXVIII.



CAM. LVMAS DACERETUR
ALVANI OTTINE MERENTIA
MILITIAE VICTORI ET GVRKOSUSSMI
DN.
LADOGICI THEODORI
SRL TIB. BRONIS
A MOLLOGEEN ET NEVAHASS
D. XXII. FEBR. SAVII. MDCX. EXCLINCI
N. XX. MM. X. D. IV.
NEVIAW ADPETIAS CECINIS
JOH. ERID. CHRISTIAS
HALAE MAGDEB. D. XXVII. FEBR.
A. M. ATQ. CHRTI. 19. J. 19. CC. XXXVII.

VSq̄ē adeone meam circumdent nubila men-
tem?

Ne mihi sint praeuisa suis fata aspera furtis,
Morborumque doli: fortunaq; nescia summo
Stare loco , non aequa bonis , gaudensque malorum
Inuexisse struem , resque inuoluisse superbas.
Siue ea casus agat, seu mens quaedam inuida rebus
Humanis, seu, quod magis est, sit numen in illis
Prospiciens nobis bene , sed ne nosse latentes
Causas nostra queat ratio non gnara futuri.
Quidquid in his sapiens moderator rebus inesse
Iussit, & quanquam haec meditantem, magna ta-
Ex animi dubio fati vis mouit inertem (men me
Deiecitque statu. quis enim non flere laboret,
Et gemitu remouere malum, lacrimisque solutus
Si dolor erumpat, iaculari verba leuero
Inuidiam factura deo : cum spesque decusque
Ante cadant, quam certa fides, nutasse reuulsa?
Pallida nunc oculis species mihi dulcis alumni
Cernitur: atque oculis nondum de corpore credo:
Sic iuuat imposuisse mihi, somnumque putasse,
Quod somno simile est, nisi falso, sed necopino.
Hos etenim vultus modo quis rubuisse putaret:
Aut corpus, validum quem iam iam vidit, inane?

O mihi luminibus pariter dilecte, valentem
Te vidi, non hora, reor, dum transiit, atque
Membra toro dulcem recubantis fassa soporem.
VHunc quis non somni sed mortis ut esse putaret:
Nec faustum requiem, sed ab illa nocte tenebras?
Tam cito corrueris nulla vi percitus extra?
Vixque tuo liceat quasi sani abscesse cubili
Securum: reuocerque ad te iam lumine cassum?
Carorum amplexu comitum dimissa tenentur
Membra, nec haec ullum vitae seruare colorem
Iam moribunda queunt: stat liuidus albor in ore:
Torquet corda dolor: gemitus & verba negantur:
Sola leui motu vis proditur aegra lacerti:
Tu placidos seruas, quasi vincens haec mala, vultus.
Frustra te refouente manu nostraque, ministraque
Et medica: frustraque quod esset opis trepidante:
Omnia sera nimis fieri: mala crescere cerno:
Spiritus esse super, fato properante, recusat:
Iamque dolor tibi fide meus: iacet, ecce, solutum
Corpus mente sua, nec habent penetralia vitam.
O miserande tuae caussa vicis, ergo fuisti?
Et cum prosperius te viuere remur, abisti?
Cum prope matura est, cecidit spes laeta parentis,
Et pia vota pii: reuocantem frustrat imago,

idem O

S A

Ac



Ac refugit subito, quas blande praebuit, vlnas.
Sic properare domum, postquam virtutibus auctus
Musarumque bonis es honoribus? hoccine fas est?
Sic pater horrebit. Sed quis lamenta tuorum
Enumeret. dolet ante alios miserabile funus
Attoniti specie late germanus oberrans.
Qui prope se geminos aetate & moribus vnis
Et studiis, vna lustris iam quattuor actis,
Praestiterant, nunquam diuisi, semper iidem:
Separat hos nimium crudelis Parca repente.
Sic Stygiis redimat Pollucem Castor ab vndis,
Sic pro Lucano contendat Tullus obisse.*
Quam nunc qui superest, lucem auersatur & odit,
Nec desiderium defuncti ferre videtur:
Ni tu, magne DEus, mentem reuocaris, & almam
Des animi, ratioque vouet, doctrinaque, lucem.
Non tu solus habes, quod luxeris o bone, nostri
Iam spes vna chori: flent vrbis plebsque, patrumque
Sancta cohors: clari iuuenes, tam fata stupentes

A 3

Posse

* Leniendo per hos dies dolori, germanus sublati, libellos nostros, animi mediciram,
adierat; & forte inciderat in Martialem: qui ad primum euoluentis obturum hoc
obiecit epigramma. quod est in libro VIII. numero LII.

Quod semper superos inuicto fratre rogesisti: | Tu colis Elysius, nemorisque habitator amoeni,
Hoc, Lucane, tibi contigit; ante mori. | Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Inuidet illi tibi. Stygias nam Tullus ad vndas | Et si iam nitidis alternus venti ab astris,
Optabat, quamuis sit minor, ire prior. | Pro Polluce menes Castora, ne redeat.

Posse venire cito, accepti carique sodales,
Procumbunt: nemo fratrem non plangit & ornat;
Stat, lacrimis violas interspersisse frequentes.
Nos quoque iam specta: quantum mouet alta dolendi
Caussa, obitus capitis, quo quid mihi carius esse,
Aut hoc exitio quid possit tristius esse?
Tanta simul cecidere bona, exit spesque propinqua,
Votaque solliciti laeta emolumenta laboris,
Multaque nox vigilata mihi, nihil improba cura
Proficiens, meminisse iuuans, columenque futurum.
Deest vitae, ni tu supereresses, portio nostrae.
O si tantum omnes sciretis amare parentes,
Quos natura dedit, quam qui ratione paratos
Virtuti generant non paruo saepe labore.
Non licuit totos ad honestum ducere coetus;
Par mihi diuinitae iuuenum: sed par quod ad omnes
Patris sancta domus pietatis vertere leges
Cooperat: haesit amor, stetit obseruantia recti:
Hinc sperare datum Musis & Apolline fausto.
Haec mihi dona rapis, ea vincula disiicis, atra
Mors, & iniqua bonis! liceatne dolere pereintum
Nostrae dimidium sortis? stat, ferre querelas
Non modo Germanis Germano carmine nostris:
Verum etiam ad faciles Gallos, cultosque Batauos,

Et



Et quantum numeri Romanaque verba leguntur.
Ferte rosas calathis pueri, innuptaeque puellae,
Atque graues ad busta viri properate frequentes:
Fertur auis meritisque bonus, ne spernite funus.
Nobile, quod dudum Musae decorant Charitesque,
Est genus, & magnum fert gloria laeta parentem:
Nominis amplius honos, & multos germine ab illo
Se consanguineo videas deducere iure:
Quos omnes nunc luctus habet; pia cura propinqui
Funeris aequanimo nondum de pectore fugit.
Vultus erat facilis, blandoque refertus honore;
Compositum doctrina dedit: suadamque ministrans
Concessit natura: loquentem verba secuta
Dulcia, mulcendis aliis, & cum sale multo.
Gratia, per magnos quae corpore spargitur artus,
Infuit: at nimium validos nutrire parata
Excessit natura modum: studioque fouendi
Dum praebet succum nimio, suffocat alumnum.
Haec tibi caussa citi, spes o quondam mea, leti.
Ingenio probior, placidis quoque moribus esse
Candidus assueras: non ira tenax, nec in vlla
Fortuna inuidiae locus; aut erat vlla tenendi
Imperiis sitis, atque parandarum male rerum.
Innocuo tantum innocua ac sincera placebant.

Laetus

2/6295

DE X 3B 5023

Laetus amiciis, tolerabas suauiter aeuum.
Nec tamen haec poterant maiore abducere cura,
Quam tibi mandarat sanctae pellacia Musae,
Igne sacro multum, me commendante, fouendus.
Sic meus in studiis. nec agendis gratia rebus
Defuerat. nam principibus dilectus ab vmbbris
Floruit, atque aliis. potuit, modo viueret, vltra.
Quam faciles iuueni auriculae, quam sedula cura
Cum sophiae praecepta bibit, res ordine gestas,
Et rerum numeros? sanctas prudentia leges,
Horribilesque faces, & ferrea iura professa est,
Carmina poenarum, te non fugiente, citauit.
His studiis, cum iam rebus maturior essem,
Et reuocaturo cecidissent vota parenti:
Bis decies solem vidisse per astra volutum
Cum vix constiterit: viridisque sit ausa iuuenta
Vixdum etiam malas tenui lanugine cingi:
Exanimis procumbis. amat dolor acer amaras
Insumfisse iras etiam. date lilia plenis
O pueri calathis, spargam quibus ossa sepulti
Viue diu, longumque VALE cape: si quis, in astris
Sis animus, diuumque diu commercia serua.
Ossibus esse leuem precor & sine pondere terram:
Dumque deus reuocabit, in vrna perpetuum ver.

† † †

B.I.G.



FVNVS DV CERET VR
I OPTIME MERENTIS
IS ILLVSTR. ET GENEROSISSIMI
DN.
VICI THEODORI
S. R. I. LIB. BARONIS
OGEN ET NEVHAVSS
EBR. SVBITO MORBO EXTINCTI
V. A. XX. M. X. D. XIII.
NIAM ADFLICTVS CECINIT
FRID. CHRISTIVS
E MAG DEB. D. XXVIII. FEBR.
NATO CHRISTO CICLO CCXXVIII.

